

in sanguine Christi fundato cessavit. Imo ille est Pastor ille bonus, qui dat animam suam pro ovibus, & propter effusionem sanguinis sui pro ovibus optimo sane jure dici meretur Pastor ovium magnus, per & propter sanguinem æterni Testamenti, quod per illum sanguinem condidit, perpetuis duraturum.

Quod si verba illa : *per sanguinem æterni Testamenti* disjungere velis à Pastore magno, sensus erit, quod Deus Pater reduxerit è mortuis Pastorem illum nostrum, per & propter sanguinem æterni Testamenti ab ipso effusum, ita ut sanguis ille effusus fuerit medium & causa resurrectionis ejus, quo respectu alibi scriptura dicit, Christum fuisse coronatum gloria & honore, eo quod animam suam sacrificium reatus dederit. Esa. 53, 10. 11. 12.

IN EPIST. D. JACOBI.

CAP. I.

Verf. 3.

Δοκίμιος) probus, spectatus, illustris, probatus. H. L. δοκίμιον substantivum probatio.

4. *Tolerantia autem opus perfectum habeat* (sit,) i. e. nolite committere, ut in medio opere vestræ patientiæ succumbatis, sed patientia vestra ut opus perfectum (se) habeat. Ita etiam apud Latinos dicitur: quomodo habes? i. e. quomodo te geris. Hæc res ita habet. i. e. ita Se habet, ita comparata est, ὅπως ἔχειν, Demosth. ita vel ita affectum esse. *Vel*: si omnino pro vulgata significatione habere, obtinere vel possidere morose urgeatur, sensus esse potest: Patientia vestra in se habeat opus (charitatis) perfectum, ita ut ex perfecta in Deum & proximum charitate omnes actiones nostræ proficiantur, & in respectu hujus charitatis omnia patienter sufferamus.

6. Πιπιζειν) sufflare, excitare ignem sufflando, ventilare, ita jactare. Πιπτειν, jactare, disjicere, projicere huc. Πίπτειν, illuc ventilare.

9. 10. *Glorietur autem frater humilis in sublimitate sua* (quam in Christo habet,) *Dives autem, præterquam quod gloriatur in illa sublimitate in Christo, in humiliatone sua gloriatur* i. e. in spirituali suâ humi-

humi-